

CAPUT IX.

DE EXAMINE TESTIUM SEPTIMAE MANUS

66. Inchoatur horum testium examen ab iis qui inducti sunt a parte oratrice, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi, postea audiantur extranei, uti famuli et viciniores, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuferit, servetur n. 26; si vero eo, ubi tribunal adunatur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 23 et 24.

67. In his testibus examinandis iudex, delato iureiurando et factis interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes sibi a vinculi defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in Appendice, specimine n. XXVII.

68. § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae a coniuge qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integrum depositionem legere, vel quia ea refert quae verosimiliter coniux non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, ex parte legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas interrogationes *ex officio*, vel curandi ut a defensore vinculi opportuna contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 47.

69. Expleto examine, legitur testi integra depositio, rogatur an menti suaे plene respondeat, et, vel habito responso affirmante vel factis expeditis emendationibus aut additamentis et praestito duplice iureiurando, iuxta n. 46, subscribit ipse, et cum eo subscripti iudex, defensor vinculi et actuarius.

70. In his testibus excutiendis, maxime curandum est, ut si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* haec didicerint, ut pateat an tempore non suspecto ea cognita haberint (can. 1774). Causam enim valde iuvant partium confessiones extrajudiciales tempore

non suspecto prolatae; eo nempe tempore, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

CAPUT X.

DE TESTIBUS, PRAETER ALIOS SEPTIMAE MANUS,
AD INSTANTIAM PARTIUM
VEL «EX OFFICIO» A IUDICE INDUCENDIS

71. § 1. Cum proprium sit testimonii septimae manus ut sit argumentum credibilitatis (can. 1975, § 2), quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, auditio vinculi defensore, aut hoc instante; vel ad instantiam partium.

72. Quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, vel ipsum testimonium septimae manus insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur, citandi sunt testes *ex officio*.

73. Quod si argumentum physicum impotentiam neque probet neque excludat, aut physicam mulieris integritatem non adesse arguat, sed non excludat laesiones potuisse aliunde oriri quam ex naturali matrimonii usu, tunc expendat iudex an sit locus complemento probationum aut per testes aut per alia argumenta.

74. Interrogationes his non minus ac aliis testibus facienda, sunt a defensore vinculi concinnanda, ac iudici exhibenda modo et ratione supra determinatis; iudici autem fas est, alias interrogations *ex officio* proponere.

CAPUT XI.

DE INSTRUMENTIS

75. Redditas attestations magis explicant, quatenus res ferat, et corroborant instrumenta. Haec, alia sunt *publica* et alia *privata*. In his causis inter instrumenta publica potissimum habetur fides authentica celebrati matrimonii, e paroeciae regestis deprompta,

quoties haec in causae instructione requiratur. His accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta privata communiter sunt epistolae a coniugibus inter se vel ad alias datae, et scriptae attestations in favorem unius vel alterius partis exaratae.

76. Utriusque generis documenta aliquando partes sponte exhibent, sed aliquando iudicis erit ex auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare. Si pars aut testis documentum exhibere recuset, iudex, auditio vinculi defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit (can. 1824).

77. § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem, perinde ac attestatio seu confessio extrajudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolati fuerunt, ad normam n. 70.

78. Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitissimis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris vinculi aut partium, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

CAPUT XII.

DE INDICIIS ET PRAESUMPTIONIBUS

79. § 1. Matrimonium non praesumitur mansisse inconsuetum; quare in singulis casibus allegata causa inconsuettitudinis sedulo investiganda est.

§ 2. Factum vero cohabitationis coniugum *praesumptionem iuris* constituit de secuta consummatione (can. 1015, § 2).

80. Matrimonii inconsuettatio ex sequentibus causis impedientibus, ut plurimum, procedere solet: a) ex defectu veri consensus in matrimonium; b) ex vi et metu; c) ex aversione et odio in ipso vitae coniugalnis initio exortis inter sponsos; d) ex impotentia, sive absoluta sive relativa.

81. Externa vitae coniugalnis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsuettitudinis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesum-*

ptionibus appellatur. Indicia et praesumptiones sunt *levia, gravia* et *gravissima*, pro minore vel maiore cum inconsuettitudinis causa necessitudine.

82. Facta vero et circumstantiae, quae unam vel alteram ex causis n. 80 recensitis indicant, praesumptionem faciunt in favorem inconsuettitudinis.

83. Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogatoribus e testimoniis ore colligere, cuinam causae inconsuettatio tribuenda sit. Res est magni momenti, cui omni cura adlaborandum est; facta enim et circumstantiae quae unam alteramve ex praefatis causis indicant et determinant, probationes iam aliunde collectas valde corroborant.

CAPUT XIII.

DE INSPECTIONE CORPORALI

84. § 1. In causis inconsuettitudinis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit perducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tute adstruendum factum inconsuettitudinis, non est praetermittenda cum inconsuettatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio.

§ 3. Hisce in casibus si vir renuat se inspectioni subiicere, probabiles rationes huius recusationis sunt in actis referendae, et suppletoriae probationes, si haberi possint, erunt comparandae.

85. In casu dubii de corporali inspectione facienda aut omitienda, decisio spectat ad iudicem, auditio vinculi defensore, salvo iure defensoris vinculi se opponendi decreto, ad tramitem nn. 22 et 28.

86. Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus: a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; b) si certo iam constet de mulieris defloratione (can. 1976).

87. Iudicis est peritos, medicos aut obstetricices eligere vel designare, auditio vinculi defensore (cf. in Appendice, n. XXVIII).

Ii prae ceteris elegantur, qui non tantum idoneitatis testimonium a competente magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suaे experientia insignes habentur, et honestatis ac religionis fama praefulent. Qui non habiles ad testimonium ferendum sunt iuxta can. 1757, nec ad periti munus exercendum assumi possunt. Item nec assumentur, qui in adiunctis versantur in can. 1613, § 1, adnotatis, si nempe ob consanguinitatem vel affinitatem cum partibus, aut propter amoris vel odii sensus erga partes easdem, aut etiam ob commodum vel incommodum sibi obveniens ex causae decisione, suspicio de eorum probitate in iudicio vel voto ferendo oriri possit.

88. Ad periti munus exercendum etiam illi ne admittantur, qui coniuges private inspexerint circa factum cui innititur petitio declaracionis inconsommationis. Licet tamen et congruit hos tamquam testes inducere (can. 1978); nunquam tamen praetermittatur, quatenus fieri possit, eorum scriptas attestations referre inter instrumenta.

89. § 1. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut loco obstetricum, a duobus medicis, pariter *ex officio* designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, auditio vinculi defensore, praecipue ob aliquod dubium fraudis, scilicet quod praesidia artis adhibita sint ad reparandas partium laesiones (can. 1979, §§ 1-2).

§ 2. Quod si, ob singulares locorum circumstantias, impossibile vel valde difficile aliquando fuerit, ut duae peritiae obstetrices aut duo medici reperiantur, tolerari poterit ut inspectio fiat ab uno perito et ab una obstetrica (cfr. *Instr. S. C. S. O.*, a. 1883, *Quemadmodum matrimonii foedus*, tit. VI, art. 5, n. 49). Si, ob easdem circumstantias, neque hoc obtineri valeat, tolerari etiam poterit ut inspectio fiat a duabus matronis seu mulieribus nuptis, moribus et aetate gravibus, et ad rem idoneis. Quoties peritia a duabus matronis, ut supra, peracta fuerit, curandum erit ut earum relationes examinandae subiiciantur uni vel duobus in arte peritis, ibidem vel alibi commorantibus, ut suum proferant votum circa conclusiones ex matronarum relationibus deducendas.

90. In inspectione mulieris, sive ea a peritis medicis, sive ab obstetricibus fiat, sequentia observanda sunt: a) plene serventur christianaë modestiae regulæ; b) adstet semper honesta matrona, *ex officio* designanda; c) inspectionem exsequantur seorsim singuli, vel singulae; d) in exploratione honesta quidem methodus et cau-

telae adhibeantur, prout scientia ac prudentia opportune suggeserit; et de iis quae adhibita sint, mentio in relationibus fiat; e) pariter singuli vel singulae seorsim confiant relationes intra terminum a iudice praefinitum tradendas; f) relationes sive a medicis sive ab obstetricibus confectas, iudex alterius medici examini subiicere potest, si id opportunum existimaverit (can. 1979-1980).

91. In matronam eligatur mulier aetate gravis, religione et honestate spectabilis, corruptioni et deceptioni non facile obnoxia, quae, praestito iurejurando, officii sui partes eiusque gravitatem intelligat, ac de eo rite functo, coram tribunal i relationem reddere valeat (cf. in Appendice sub n. XXIX).

92. Ratio exsequendae inspectionis haec erit. Iudex locum designat, in quo ea est peragenda, et mandabit quod mulier prius balneo subiiciatur, servatis suetis conditionibus aquae tepantis, et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet. Quod si designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile, vel potius nocivum, iudex perpensis adiunctis, rem definiat, auditio defensore vinculi, prout in casu magis expedire iudicaverit. Periti autem expleant suum examen, ut distincte referre valeant de singulis signis quae mulieris integritatem inferre sinunt, vel potius eidem refragantur; in id etiam caute advertentes, ne apparens integritas callide, medicinalis artis ope, fingi potuerit.

93. § 1. Periti, medici aut obstetrices, suam seorsim scriptam relationem peragant (cf. n. 90, e) circa conclusiones ex inspectione deductas, et postea erunt singuli a iudice interrogandi, iuxta interrogaciones seu articulos a defensore vinculi antea concinnatos, iisque ipsi, praestito iurejurando, respondeant; et examen absolvatur servato praescripto n. 46. Vinculi autem defensor peculiares articulos et interrogaciones praesertim eruat ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis (can. 1981; cf. in Appendice, nn. XXX et XXXII). Periti vero perspicue indicare debent qua via et ratione processerint in peragenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (can. 1801, § 3).

§ 2. Quod si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando reperirent, sive in conclusione finali, iudex poterit relationem unius periti submittere iudicio alterius, ut explicet ex quo repetenda sit contradictio; et, si casus ferat, etiam permittere poterit ut inspectio fiat collegialiter et votum collegiale habeatur, sed deinde seorsim periti interrogentur (cf. can. 2031, n. 5); nisi idem iudex peritiorem eligere magis expedire iudicaverit, qui super relatis a primis peritis suffragium proferat, facta ei quoque, si casus ferat, potestate inspe-

ctionem denuo peragendi; aut novos de integro peritos adhibere (cf. can. 1802 et 1803).

94. Postremum in iudicio vocanda erit matrona, quae inspectioni adstitit, et, delato iureiurando, ad rem interrogetur (cf. in Appendice, n. XXXI).

95. Ad inspiciendum virum, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979, § 1); qui, praestito iureiurando de munere fideliter implendo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXIX), monendi erunt, ut artis praesidiis utantur licitis et honestis, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur.

CAPUT XIV.

DE PROCESSUS CONCLUSIONE

96. § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius vinculi defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc auditis partibus.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente consideret, partium ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam incompleta et contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, auditio vinculi defensore, partes aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declara sunt exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat vinculi defensor, actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius completa ad normam harum *Regularum* (cf. in Appendice, n. XXXIII).

97. § 1. Clausa processus instructione, iudex neque ad ipsius processus publicationem, neque ad sententiam super ipsa inconsommatione et causis ad dispensandum deveniat (can. 1985).

§ 2. Nihilominus si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, auditio defensore vinculi, neconon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis; de publicatione autem processus aut alicuius partis, expressa mentio in actis facienda erit.

98. § 1. Claudio processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones confidere debeat, in primis animadvertisens an *Regulae* hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde acta omnia, una cum voto scripto Episcopi (canon 1985), vel, sede vacante, Vicarii capitularis vel Administratrix apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices facientis (can. 429 et 431), et defensoris vinculi, transmittantur ad hanc Sacram Congregationem.

99. Praesentes *Regulae* in instruendis processibus de non consummatione semper erunt adamussim observandae, et si aliquando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, index de huius rei motivo rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

100. Harum *Regularum* observantia Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsi propterea integrum est, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, auditio vinculi defensore, removere. Si quando his remedii fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

101. § 1. Acta iudicia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642), transmittantur ad hanc Sacram Congregationem in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad Sacram Congregationem transmittere, fas sit Curiae transmittere ipsa acta originalia, iis tamen cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

CAPUT XV.

DE RESCRIBTO PONTIFICIAE DISPENSATIONIS EIUSQUE EXPEDITIONE

102. Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab E.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacmentorum, vel ab alio E.mo Cardinali eius

vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem Sacrae Congregationis subsignatum.

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audience Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsuptionem, tum quoad dispensationis causas (can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impenetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prout casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

L. ✠ S.

M. CARD. LEGA, *Praefectus.*

† A. Capotosti, Ep. Thermon., *Secretarius.*

APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QUAE UTILITER
ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS

I.

SUPPLEX LIBELLUS UXORIS ORATRICIS

Beatissime Pater,

N. N., filia..., e dioecesi..., civitate..., annos nata..., condizione..., domicilium habens in civitate..., via..., sub paroecia..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit:

Die ..., mense ..., anno ..., oratrix, tunc annum agens ..., praemissis denunciationibus a iure statutis ac ritu civili, matrimonium, in paroeciali ecclesia ..., cum *N. N., filio..., e dioecesi..., et civitate..., tunc annorum..., professione..., rite contraxit.*

Sed hoc matrimonium, contra oratricis ingenium, ad exitum perductum fuerat ab eius matre, quae omnem movit lapidem ut filiae animum sibi conciliaret; et cum nullum ab eiusmodi nuptiis daretur effugium, oratrix ad matrimonium celebrandum accessit, sperans fore, ut sensim sine sensu amor erga virum enasceretur.

At spem feffellit eventus, nam, coniugali consortio vix instituto, vir pravam indolem pandidit, ideoque defectus amoris in aversionem prorupit. Quapropter quindecim ab inito matrimonio diebus elapsis, vir, oratrice reicta, ad paternam domum remeavit; postero autem die, ipsa, urgente matre, virum assequi debuit; cum quo tamen vix quinque diebus transactis, ad matrem reversa est, malens potius mori, quam cum eo intolerabilem vitam ducere.

Tum ex hoc capite vir separationem a civili tribunali petiit atque obtinuit. Oratrix vero, apprime sibi conscientia de non secuta matrimonii consummatione, tum ob perversam viri voluntatem,